

XVIII

AD QVINTILIVM VARVM

Asclepiadeus maior

Nūllam, Vāre, sacrā vīte prius sēveris arborem
Circā mīte solum Tīburis, et moenia Cātīlī.
Siccīs omnia nam dūra deus prōposuit ; neque
Mordācēs aliter diffugiunt sollicitūdīnēs.

Quis post vīna gravem mīlitiam aut pauperiem crepat ?
Quis nōn tē potius, Bacche pater, tēque, decēns Venus ?
Ac nē quis modicī trānsiliat mūnera Līberī,
Centaurēa monet cum Lapīthīs rīxa super merō

Dēbellāta : monet Sīthoniīs nōn levis Euhius,
Cum fās atque nefās exiguō fīne libīdinum
Discernunt avidī. Nōn ego tē, candide Bassareu,
Invītum quatiam ; nec variīs obsita frondibus

Sub dīvum rapiam : saeva tenē cum Berecyntiō
Cornū tympana, quae subsequitur caecus amor suī,
Et tollēns vacuum plūs nimiō glōria verticem,
Arcānīque fidēs prōdīga, perlūcidior vitrō.